



a portu illo tarda navigatione recessimus propter ventorum tarditatem. Porro in meridie venit ventus fortis, sed contrarius, et repente retrorsum nos rejecit contra promontoria terrae Cypri. Ibi ergo bolide mari immissa invenimus terram prope temonem, et statim, ne in scyllas aut bythalassum incidere-
mus, remisimus vela, et navem de manibus ventorum eripui-
mus, et ejectis anchoris et navi ligata ibi secundos ventos
exspectavimus. Poenalis autem fuit nobis illa exspectatio,
quia desiderio terrae sanctae flagravimus, scientes nos amplius
terram nullam visuros nisi illam desiderabilem. Magis autem
poenalis fuit illa tardatio domino patrono et suis, timentes ne
Augustinus, qui nos praecesserat cum suis peregrinis terram
sanctam ingredi permetteretur ante nostrum adventum, quia
si hoc factum fuisset, tamdiu oportuisset nos in portu mansisse,
quousque illi peregrinationem suam peregissent, et ad mare
reversi fuissent: et hoc fuisset mors nostra, et nobis intole-
rabile. Si enim in portu terrae sanctae eos non invenissemus,
statim in Cyprum reverti nos necesse fuisset, et ibi degere
usque ad reditum eorum. Porro post solis occasum venit
tenuis ventus, cui navem commisimus, et parum nocte illa
serpuimus.

Vicesima nona die, quae est sanctorum Apostolorum
Petri et Pauli, et erat dominica V. post Trinitatis, impulit
nos ventus contrarius retrorsum, et prope portum limonicen-
sem, quem quinta feria praeterivimus, venimus: ibique
anchoram fiximus. Galèoti autem acceptis securibus in nemus
propinquum navigaverunt, caedentes ligna ad coquinam, nec
cogitabant esse festum Apostolorum et diem dominicum. Cum
autem sero factum esset, mutatus est ventus in melius, et
soluta navi repente a Cypro sublati sumus in maris altum, et
nullam terram aut insulam videre potuimus, quia longius
ejecti eramus.

Tricesima die, quae est commemorationis S. Pauli, et
ultima Junii, fortiter navigavimus et cum ingenti desiderio
exspectavimus illius desiderabilis et nobilis terrae promissionis
jocundissimum aspectum. Sicut enim Moyses, dum per vastis-
simum eremum venisset et terrae promissae jam propinquus
esset, desiderio ejus accensus ascendit in montem in verticem

194

192

198

188

203

183

243

143

293

093

Ende

Anfang